



1  
a  
1.  
2.  
3.  
4.  
5.  
6.  
7.  
8.  
9.  
10  
11  
1



1659.

a, b

1. Beckman, Johann Volk. : De pactis adjectis
2. Beckman, Joh. Volk. : De incendiis dolos et culpato
3. Beckman, Johann Volk. : De contractibus realibus.
4. Beckman, Joh. Volk. : De Augustis.
5. Beckman, Joh. Volk. : De nuptiis.
6. Beckmann, Joh. Volk. : De statu imperii Romani.
7. Beckmann, Johann Volk. : De jure alienandi.
8. Beckman, Joh. Volk. : De servitutibus.
- 9<sup>a. b.</sup> = Beyerus, Adrianus : De cadaveribus puni-  
tum.
10. Bosius, Jo. Andreas : Julii Agricolae ortus, edu-  
catio et studia
11. Reyher, Wolfgang Andreas : De infamia et ejus pro-  
gandi modis
12. Richterius, Christophorus Philippus : De justa  
morum sententia in propriis sanguinibus



1659,

13. Richter, Christophorus Philippus : De quaestibus. 16  
24
14. Richter, Christophorus Philippus : De libellis 24
15. Richter, Christophorus Philippus : De apoculis. 25
16. Schmidlius, Johannes : De servituti Julii principatu 26
17. Schroeterus, Emerichus Bidericus : De retroactione
18. Schroeterus, Emerichus Bidericus : Theses juridicae, 27  
ex Digestorum et Codicis libris, novellis, Constitutio-  
nibus, jure canonico et recens. Imp. Desumptae 28
19. Schroeterus, Emerichus Bidericus : De dispensatio- 29  
nibus.
20. Strauchius, Johannes : De pignore legati seu facito. 30
21. Strauchius, Georg Adamus : De jure aggratiandi sive 31  
remissione veniali. ? Sempt. 1659? 1660  
transmissione. 32
22. Strauchius, Johannes : De ~~transmissione~~ 33
23. Strauchius, Johannes : De Germanicae nationis  
in hodiernis imperiis Romani statu praesentia.



1659.

24. Struvsius, Johannes : De transactionibus.  
25. Struve, Georgius Adamus : De natura obligatio-

rum -

ata 26<sup>ta</sup> Struv, Georg Adamus : De pluribus. 2 Saemp. 1659  
- 1716.

27<sup>ta</sup> Struve, Georg Adamus : De divisionis exceptione.  
- 2 Saemp. 1659.

28. Struve, Georgius Adamus : De mutuo.

29. Struve, Georg Adam : Visentus . . . et priores  
IV de libris.

30 Struve, Georg Adamus : De publicis judiciis

31. Struvius, Georg Adamus : De dividualitate.

32. Wistheim, Mag. Herbert, von : De repressatio

33. Worma, Georgius : De genio

nis

atid





470

I

J





1706.

N<sup>o</sup>. 45.

DISPUTATIO JURIDICA

DE

NUPTIIS,

1659, 5

6

Quam

Sacrosanctæ Trinitatis adspirante gratiâ

AUTHORITATE & CONSENSU

Magnifici Jctorum Ordinis

PRÆSIDE

VIRO

*Nobilissimo, Amplissimo, Consultissimo atque Excellentissimo*

DN. JOH. VOLK. *Bechman*/

J. U. D. famigeratissimo, Prof. Publ. Ordinario longè meritissimo, Consiliario Saxonico, Facultatis Juridicæ & Scabinatus Assessore gravissimo,

Domino Præceptore, Patrono ac Promotore suo summâ observantia ubique venerando,

*Publicè examinandam proponit*

In Academiâ hâc Salana

*Ad diem Octob.*

Loco horisque consuetis

ANTHON. GUNTHER. *Kirchoff*/Oldenburg.

AUTOR.

GENÆ

Typis JOHANNIS NISII.

ANNO M DC LIX.





DISPUTATIO JURIDICA

# IN URPTIS

de iudicio et iurisdictione

ab Henrico Henrico

Magistro Henrico Henrico

Magistro Henrico Henrico

Magistro Henrico Henrico

Magistro Henrico Henrico

Magistro Henrico Henrico

DR. JOH. VOLK

DR. JOH. VOLK

DR. JOH. VOLK

DR. JOH. VOLK

DR. JOH. VOLK

DR. JOH. VOLK

DR. JOH. VOLK

DR. JOH. VOLK

DR. JOH. VOLK

DR. JOH. VOLK

DR. JOH. VOLK

DR. JOH. VOLK

DR. JOH. VOLK







### *Præloquium.*



Ogitanti mihi quam juris materiam potissimum tractarem, statim in ipsâ fronte occurrit, quod ea, quæ quotidiana sunt & usum frequentem habent, plenius debeant attingi juxta *Jctum Paulum & Ulpianum in l. 1. de suspect. tutor. & l. legavit. de liber. legat.* Cum autem hæc materia de nuptiis sit utilissima & in Foro hodierno frequentissima constitui de hæc nonnulla pro ingenii mei modulo in chartam conjicere ac publico examini submittere. Antequam verò ipsam præsentem tractationem aggrediar, Deum Ter opt. maximum (in cujus nomine ad omnia consilia, omnesq; actus semper progrediendum est *l. 2. C. de off. Præf. Præf. Affric.*) supplex veneror, ut suâ ope quâ res etiam penitus desperatas præstare potest *l. 1. §. 2. C. de V. I. E.* mihi quoque clementissimè præstet instituti successum, finemq; optatum. *Quod ergò Deus benè vertat.*

A 2

I. Elo-



**E**loquentiæ Princeps *lib. 1. offic. inquit.* Omnis, quæ ratione suscipitur, de re aliqua institutio, debet à definitione proficisci, ut intelligatur, quid sit id, de quo disputetur. Hunc & ego sequar. Cum autem nuptias plerumque sponsalia præcedant, placet prius de illis quædam præmittere. Sponsalia autem in *l. 1. ff. de sponsal.* definiuntur mentio & repromissio futurarum nuptiarum. Hoc jure civili sponsalia tantum sunt de futuro. CC. sponsalia dividunt in sponsalia de præsentis & futuro. *c. nostrates 4. C. 30. q. 5. c. 2. c. veniens ad nos 15. c. sicut ex 22. c. pen. de spons. c. fin. de conjug. leprof.* quam distinctionem videtur invenisse Alex. III. *arg. c. 3. de spons. duor.* Rectè dicit *Sutholt. dis. 2. aph. 9.* hanc distinctionem non ut univocam, sed ut æquivocam posse tolerari. *Wesemb.* subdividit sponsalia injurata & injurata, pura & conditionalia, quædam etiam dicuntur publica & quædam clandestina. Illa sunt tanti valoris ut præferantur his etsi concubitû fuerint consummata. *B. Lutherus in libello von Ehesachen in art. 2.* & quotidie sic ferè in Consistoriis ita solet pronunciar. *Das das öffentliche Verlöbniß dem heimlichen Ehegelübd billich vorgezogen wird/* ut refert *Schneidew. in comment. ad Instit. h. l.* Verum enimverò licet omnia clandestina sponsalia prohibeantur. vid. *Ord. Eccl. Fürstliche Braunschwo. Kirchen Ordnung/ cap. Ordnung in Ehesachen/ tit. von heimlicher/ & tit. seqq. von Eheverpflichtung/* nihilominus tamen, si ad promissionem talem concubitus accessit, clandestina subsistunt & tolerantur, modò de sponsalibus veris constet, v. g. ex confessione, chirographo, literis, vel etiam per testes; ratio est, quod tum ex concubitu

bitu



bitu inducatur matrimonium præsumtum, probationem in contrarium excludens. *c. 6. de condit. appof. c. 30. h. t. Carpz. decis. 15. n. 14.* Q. Quod si quis bina sponsalia publica celebraverit, & utramque sponsam carnaliter agnoscat quid juris? Num priora prævaleant posterioribus, vel an posteriora prævaleant prioribus? Memini *Nobiliss. Dn. Præsidentem, Patroꝝum atque Promotorem meum omni honoris & reverentia cultu atatem prosequendum in prælectionibus privatis ad h. tit. de nupt.* respondisse priora prævalere, licet posterioribus concubitus accesserit, si tamen primus sponsus vel sponsa consentit *c. 1. & ult. de spons. duor.*

## II.

*Nuptia autem sive matrimonium est viri & mulieris conjunctio individua vite consuetudinem continens. §. 1. I. de patr. potest.* Nuptiæ dicuntur à nubendo, quam vocem etiam de viris usurpant *Plautus, Varro, Nonius*, ut demonstrat *Barthius l. 6. Advers. c. 14.* Idem ferè repetit *l. 26. c. 26.* Hinc non erat causæ, cur *Bachov. ad §. 1. I. d. t.* Tertullianum ut non satis bonum latinæ linguæ autorem damnaret. Hodiè de foeminis adhibetur, & certè olim vox nubere in malam partem fuit accepta. Sic Festo verba nupta sunt obscæna, & *Petronius* nuptias facere accipit pro illicito concubitu, hodiè verò in bonam partem accipitur. *Nobiliss. Dn. Præs. d. l.* ubi plura ex politiciori literaturâ asserebat. Per verba *viri & mulieris* excluditur 1. communio uxorum, de qua *Diodor. Sicul. l. 6. 2. Sodomia*, quod crimen omnium gravissimum vocat *Carpz. P. Crim. part. 1. q. 26. n. 1.* in quo sexus perdit locum, ubi scelus est id, quod non proficit scire, ubi *Venus* mutatur in alteram formam, ubi amor quæritur nec vi-



Actur. *l. cum vir nubit 31. C. ad l. Jul. de adult.* quotuplici-  
ter autem committitur *V. Damhuder. P. Crim. c. 18.* So-  
domia etiam in propria uxore committi potest *Carpzov.*  
*d. l. p. 2. q. 78. n. 24.* de poena vid. *Lev. 18. v. 26. & seqq.*  
3. Polygamia, quæ est duplex simultanea & successiva, de  
simultaneâ quam hîc præsupponimus, Quæritur, An  
ista sit licita? Resp. De jure divino veteri quidam dubi-  
tant, quod Deus Regibus videatur privilegii loco plures  
concessisse uxores *Deut. 17. v. 17. & cap. 21. v. 15.* Rabbi-  
ni ad hunc locum commentantes scribunt Regi licuisse  
octodecim uxores habere, ut refert *Grot. de I. B. & P. c.*  
*5. §. 9.* quod etiam repetit *Seldenus. lib. 5. c. 6.* Deinde quod  
Patriarchæ Polygami nunquam expressè legantur in sa-  
cris à Deo reprehensi, ut desisterent ab illâ, quod in me-  
dio relinquo. De jure naturali etiam controvertitur  
inter *Dd. Sutholt. ad h. tit.* dicit eam juri naturali quo-  
dammodo adversari. Non videtur. Nam vir potest  
sub sua potestate plures continere, & qui primarius con-  
jugii finis, foecundare. Fieri quidem potest, ut turbetur  
finis secundarius, sed, hic præcisè non obstat. Jus hoc po-  
lygamia dicit *Selden. d. c. 6.* in Oriente (*semper excipias lo-  
cos, gentesq; quibus à Christianismo abolitum est*) olim ho-  
dieque passim in usu. Hodiè de jure divino novo Polyga-  
mia absq; dubio apud nos est prohibita *Matt. 19. v. 5. & c.*  
Ex ordinatione criminali *art. 121.* Polygami capite pu-  
niuntur apud Christianos. Per vocem *Individuam* di-  
stinguuntur nuptiæ à concubinato, qui est conjunctio  
maris cum foeminâ liberâ eaque unicâ. *l. unic. C. de con-  
cub. l. fin. C. comm. de success. l. 121. §. 1. de V. O.* citra tamen  
affectionem maritalem. *l. 4. de concubin. l. 41. §. 1. h. t. l.*  
*3. §. 1. de legat.* estque permissus jure civili. *tot. tit. ff. de*

con-



*concupin.* Non obstat *Nov. 6. c. 1. §. 3. & Nov. 123. c. 1. in*  
*pr.* ibi enim tantum interdictus est Clericis. Jure Cano-  
nico *c. audite 6. dist. 34. c. 5. C. 32. q. 2. c. 4. & c. dicat 9. C.*  
*q. 4. Ritterhus. de differ. jure civil. & Can. lib. 2. c. 19. Ba-*  
*chovius ad Treutl. vol. 2. disp. 6. th. 3. lit. a. Sutholt. per c. 4.*  
*& 5. dist. 34. & alii dissentiunt. Resp. Vox concubinæ si-*  
gnificat uxorem, quæ ducta est conjugali affectu, sed sine  
solemnitatibus matrimonialibus, cujus responsionis pri-  
mus autor est Gratianus, fatente *diff. Ritterh.* qui dicit  
cum Forstero, vim hac ratione inferri Concilio Toleta-  
no & Isidori verbis quod falsum est, ludit tamen in voce  
concupinæ, ejus consequentia à contrario sensu laborat.  
E. aliquis concubinatus est justus, nam perpetuum esse  
concupinatum, & tantum esse nudum concubinatum,  
sibi invicem repugnant, cum solum matrimonium sit  
perpetuum §. 1. *I. de patr. pot. V. Zæsius Comment. in IV.*  
*Decret. tit. 1. n. 54. & seqq. Excell. Dn. Prasides d. l.*

III.

Nuptiæ aliæ sunt justæ aliæ injustæ. Justæ sunt, quæ  
secundum leges aut Canones de matrimonio proditos  
incuntur, quamvis alio & speciali sensu legitimæ appel-  
lentur jure pontificio. Harum aliæ denuò sunt vel nefas-  
riæ vel incestæ, quæ contra jus naturæ & divinum inter  
ascendentes & descendentes contrahuntur. Hic quæ-  
ritur: Num frater cum sorore committat incestum, Et  
An fratrum & sororum conjugia sint contra jus naturæ?  
Respondeo cum *Excell. Dn. Praside* negando, quia hæc fi-  
unt inter pares, nec enim filius debet sorori reverentiã &  
honorem ut matri. 2. Adami liberi ab initio se invicem  
duxerunt, & per horum conjugia propagavit Deus ge-  
nus humanum *Wesembec. hic. l. 38. §. 1. ad L. Jul. de adult.*

L. 56.



*L. 56. d. l. ult. de ritu nupt. 3.* Sequeretur ab absurdo totum genus humanum esse natum ex incestu & nefario coitu. Non obstat *l. ult. de incest. nupt.* Resp. Hæc lex est positiva & civilis, quæ talia conjugia improbat, & habentur ibi illæ nuptiæ pro incestis respectu poenæ ab Imperatore constitutæ. Deinde Imperatoris nostri auctoritas in quæstionibus naturalibus neminem obstringit, cum sit supra & extra ejus potestatem. Porrò licitum sive justum matrimonium itidem est vel initiatum vel consummatum. Initiatum jure civili est, quod consensu initum *l. 30. de R. I. l. 22. C. de nupt.* Consummatum verò matrimonium est hodiè, cui accessit benedictio sacerdotalis & concubitus nuptialis *l. 2. de consens. conjugat.* Unde & petenda decisio, cum occasione statuti, quod superstes conjux debeat defuncto succedere, quaeritur, an illud obtineat inter sponfos nondum deductos in Ecclesiam? Resp. Sponsus succedit sponsæ ex statuto, in quâ civitate tale statutum viget, cessante statuto idemque obtinet, si in pactis dotalibus conventum, quod superstes defuncto debeat succedere. Benè itaque sibi consulunt, qui exprimunt utrum successioni locus esse debeat statim post contracta sponsalia de præsentia, an verò demum, ubi intervenerit benedictio sacerdotalis *Hahn. ad h. t. de nupt.* In foro autem Saxonico aliisque locis præterea requiritur ingressus thori conjugalis, non verò & ipse concubitus. *Mev. ad stat. Lubec. l. 1. p. 5. t. 14. n. 14.*

IV.

Personæ quædam prohibentur nuptias contrahere *vel ob statum*, ut *Servi*, Si enim de jure civili pro nullis & mortuis habentur, & rebus in commercio positis annumerantur *l. 32. & 209. ff. de R. I. l. Si donatus.*  
*ff. de*



*ff. de donat. inter vir. & uxor. l. 2. ff. ad L. Aquil. neque ex honorabili propagatione nuptiarum, sed contempto contubernio prodeunt l. 3. C. de incest. nupt. Unde inter illos neque pater, neque filius, neque filia in civili effectu intelligitur. d. l. Paulus lib. 4. sent. lit. 10. §. 2. ob corporis vitium ut Castrati, quibus testiculi desunt, testiculi enim sunt principale instrumentum generationis (qui unicum tantum habet, admittitur l. Pompon. 6. §. 2. de edilit. edict.) l. 6. §. 2. de jur. patr. l. si serva 39. §. 1. de jure dot. Lecti-custodes Eunuchi aliique l. Spadonum 128. de V. S. Vel naturâ prohibentur ut furiosi l. patre 8. de his qui sunt sui vel alien. jur. c. dilectus. 24. ext. eod. item extremè ebrii, in quibus ligatur usus rationis, ut disputat Thomas secunda quest. 150. art. ult. Impuberes. in prin. Instit. eod. l. quesitum. 9. l. in spon. 14. supr. d. t. nisi malitia ætatem suppleat. c. de illis 9. c. ult. de despon. impub. Lege divina Gen. 2. Levit. 20. 1. Cor. 5. & naturali, atque adeò omnium gentium, prohibentur nuptiæ inter parentes & liberos. Q. An duorum fratrum vel sororū liberi, vel fratris & sororis liberi prohibeantur nuptias contrahere. Resp. negando quia exempla biblica non sunt aliena. Genes. 29. Levit. 17. & seqq. n. 36. 1. Chron. 24. idem asserit in Instit. Ulpian. tit. 5. l. 19. C. de nupt. l. 3. D. eod. l. 68. §. filiam. D. ad Sc̄t. Trebell. l. qui ex fratribus. 24. de condit. Instit.*

V.

Causa efficiens matrimonii est consensus, quo deficiente ipsum matrimonium est nullum, *vel ut alii Dd. volunt*, est formale, ubi autem non est formale conjugii, ibi non est conjugium, & sic consensus requiritur tam

B

con-



contrahentium quam parentum, Q. An consensus de jure divino & naturali sit necessarius? Resp. Ita quidem est, quod consensus liber debeat esse in nuptiis absque coactione *l. si à patr. 22. de R. N. l. Titia 134. d. V. O. l. 1. C. de nupt. c. cum locum 14. & seq. de spons.* Ne autem in effrenem licentiam abeat, adhibendus est consensus parentum. De jure divino & naturali tantum ob pudorem & honestatem adhiberi debet, eoque omisso, nuptiæ hoc jure non sunt nullæ, cum parentis jus, quod ex hoc jure habet, hunc effectum juris civilis (est enim ex lege Romuli) habere nequeat. Deinde patris & filii personæ sunt distinctæ, hinc ob defectum consensus ipse actus nullus non est. *arg. l. filius f. 39. de O. & A.* Imò emancipatus rectè sine consensu patris matrimonium init *l. filius 25. de R. N. l. 3. §. 5. de B. p. cont. tab.* ubi Prætor tueretur emancipatum, quod non faceret, si esset contra indolem æquitatis naturalis. *arg. l. 1. in pr. de collat. §. 9. de success. qua ab intest.* Graviter tamen peccant liberi, qui negligunt consensum parentum, *Exod. 20. v. 12.* ex quo & aliis probatur, curam filiorum spectare ad parentes. Non obstat. *pr. I. & h. t. in verb. naturalis ratio.* Hoc enim vult, quod naturalis ratio suadeat, sed civilis cogat, & licet utramque Trib. conjungat, effectus tamen univoci non sunt, *per §. 12. I. d. nupt.* ubi hoc adscribit patriæ potestati Romanis qualitatibus indutæ.

## VI.

Statuunt quidam Dd. de jure Canonico etiam requiri consensum tantum de honestate *per c. 2. C. 27. q. 2.* Paralleli textus sunt *in c. cum locum 14. & c. cum apud 23. de spons.* Contra constat, quod P. P. multa ex jure civili (sicut etiam plerasque decretales ex Glossis juris civilis,

Cu



*Cujac. Recit. ad c. 3. & ult. ut lite non contest.) mutuaverint, imò passim integras LL. ut videre est, transfulerint, Cum ergò fere repetant. l. nupt. 30. de R. I. apparet, (ut LL. civiles) CC. precisè requirere consensum parentum. c. 1. & 3. C. 30. q. 5. c. 1. C. 31. q. 2. c. ult. C. 32. q. 2. Dicitur quidem in *dd. CC.* quod solus consensus faciat nuptias; illa autem vox facit propositionem exponibilem, quæ excludit tantum opposita, quod de consensu parentum dici nequit. Concilium Tridentinum quid disposuit. *v. Decret. de Reform. matrim. c. 1.* de jure civili res est expedita. *l. 2. de R. N. l. nec filium 12. C. de nupt. l. filiusf. 35. d. t. pr. 1. h. t. Dn. Franzkio Exerc. 2. q. 4.* frivolus est *Goibertus. 1. q. 12. & de matrim. 4. n. 89.* asserens hoc jure consensum saltem requiri de honestate, non obst. *l. 1. §. ult. de liber exhib.**

## VII.

Impedit autem consensum vel error, vel violentia. Error autem est duplex vel circa essentialia vel accidentalia. *Sutholt. diff. 2. §. 48.* Error virginitatis non pertinet ad essentialia, nam cum corrupta & vidua potest esse matrimonium, nec impedit, si quis dicat, quod error virginitatis non afficiat omne indistinctè matrimonium, sed cum virgine contrahendum. Dicimus inconveniens videri, ut aliquid sit essentialiale, nec tamen sit semper essentialiale, ad contraria alia resp. *Bachov. ad Tr. V. 2. disp. 6. th. 6. L. E.* Non ergo matrimonium ab initio est nullum, cum non sit error circa substantialia, sed qualitatem tantum extrinsecam, quæ ipsam matrimonii substantiam non afficit. Huc refero casum, si quis compressam ab alio inscius pro virgine ducat, an vitiata illa possit repu-



diari? Arbitrio iudicis relinquitur, nec illam invitus retinere cogitur, dicit *Sutholt. diff. 2. §. 53. per Nov. Leon. 93.* si modo certò possit probare illam esse vitiatam. Hic denuò nascitur ista quæstio: An devirginatio etiam possit infallibiliter probari? Neg. plerique & obstat locus controversus *Deut. 22. v. 14. & seqq.* Resp. 1. locus Deut. accipiendus est de eo, quod fit ut plurimum 2. ex illo Mosaico hoc possit concludi affirmativè, ubi adest illud signum, ibi est indubitata virginitas, at non negativè, ubi illud non est, illa est deflorata virgo, quia hoc sæpius fallit. Optimè probatur, si utero gerat mulier. Nam necessariò si peperit, cum viro concubuit, dicit *Cicero 1. de Invent. Arnif. alleg. loc.*

#### VIII.

Forma est duplex essentialis vel accidentalis, illa consistit in mutua voluntatum & affectuum conjunctione, hæc autem in benedictione sacerdotali, quæ hodiè in duobus consistit 1. in proclamatione publica, una, bina, vel, ut plerumque obtinet, trina ex suggestu publico. 2. Die nuptiarum facta in Ecclesiam introductione & sacerdotali copulatione, atque ejusdem benedictione sive consecratione. Inducta potissimum est, ut incestis prohibitisque conjunctionibus vel aliis incommoditatibus, quæ inde oriri solent, in tempore & dum adhuc res integra est, occurratur. Mosque hic est vetustissimus: derivat enim eum Baronius *in Annalib. Ecclesiast.* à tempore Apostolorum, & Tertullianus, qui vixit in fine sec. II. post Christum natum, dicit, eundem suo tempore obtinuisse, vocatque conciliationem contrahentium, h. e. conjunctionem dextrarum eorum, qui contrahunt, quam sequitur benedictio. Postea in Concilio Car-



Carthaginensi *IV. c. 13.* constitutum, ut sponsi benedi-  
cendi à parentibus & paranympo presbytero offeran-  
tur. Hincque & Leo Philosophus in fine seculi IX. post  
Salvatorem natum circa annum 890. illius mentionem  
facit *Nov. 74.* & se refert ad Synodum, quæ est Constan-  
tinopolitana *III. can. 98. Grot. ad Evangelist. Matth. 25.*  
atque latissimè omnium *Basil. Pont. de matrim. l. 5. c. 1.*  
& 2. Eadem & passim Augustanæ Confessioni addictis  
recepta est. Neque tamen ista benedictio sacerdotalis  
est de substantia matrimonii, adeò ut eà omisâ nullum  
sit matrimonium, liberique illegitimi, sed est saltim nu-  
dum accidens & fluit ex ordinatione aliqua humana,  
quæ matrimonium intrinsecè, immediatè & radicaliter  
non afficit. ut vult *Hahn. ad h. r. de nupt.*

IX.

Finis primarius est procreatio liberorum. Inter li-  
beros legitimos numerantur 1. septimo mense nati, si-  
quidem prima perfectio partus jam tum adest. *Arnif. de*  
*part. hum. leg. ter. disp. 2. th. 26.* præjudicia habet. *Carpz.*  
*Jurisp. For. C. 27. def. 14.* quanquam compertum sit hosce  
septimestres partus integros meatus aurium & narium,  
ungues in pedibus & manibus non habuisse, quod  
mover Aristoteles, quæ tamen naturalis imbecillitas, ex  
casibus variis sæpè existens, legitimis nuptiis & ex iis-  
dem descendente partu legitimo minimè debet obsta-  
re. *Sihman. ad h. r. de nupt. 2. octimestres partus. l. 7. de*  
*statu hominū. Goth. fr. ad Nov. 39. c. 2. Plin. 7. c. 5.* 3. Nonime-  
stres & Decimestres partus legitimi per *l. Gallus 29. ff. de li-*  
*ber. & posth. hered. Inst.* Si modo maritus cum nupta  
naturaliter coivit, vel coire potuit, & tunc supputatur  
tempus conceptionis, non mortis mariti. *Mynsing. cent.*



6. observ. 40. n. 11. Gell. l. 3. 4. Undecimo mense nati post mortem mariti *Arnis. d. l. disp. 3. th. 36.* non obstat *Nov. 39.* an autem monstrosi partus habeantur pro liberis, late tractat *Gædd. ad l. quæret. 135. de V. S. ubi eam componit cum l. non sunt 14. de statu hom.* Referunt P. Scriverius & Junius in Bat. illustr. Margaretham Florentii Comitis Hollandiæ (Hermannii Comitis Hennebergici uxorem) CCC. LXV. liberos stupefcentibus circumstantibus enixam fuisse, simile habent de Comitis Holstenii uxore.

X.

Effectus varii sunt 1. patria potestas, quæ olim constitit in jure vitæ & necis ex L. Romuli antiqua, quod jus etiam viguit apud Athenienses, & Gallos, *Cæsar. l. 6. de bello Gallic.* cæpit autem tempore subsequentium Imperatorum magis in pietate consistere, quàm in atrocitate, ut loquitur Jctus Marcianus *l. 5. ff. ad L. Pompei. de parricid.* Permissum hodiè patri filium immorigerum conclavi alicui includere ad corrigendos mores sine reatu privati carceris. *Cyn. in l. un. C. de his qui parent. vel liber. occid.* Item filium ex ingratitude causâ hodiè ex *Novell. 115. inserta*, exheredare. Filium inclusum & castigatum dare Magistratui puniendum *l. 3. C. de patr. potest.* Minimè autem licitum est contra verberantem Patrem se defendere & repercutere. *l. si filius. 35. ff. de Religios. & sumpt. funer.* Pater tamen adhuc potest filiam in adulterio deprehensam, modo ne sit gravida occidere, *l. 20. ff. ad L. Jul. de adulter.* Est autè illa patria potestas absolutè considerata, ut rectè statuit *Hahn. ad Wesenb. ad tit. d. his qui sunt sui vel al. ter. n. 2. p. 111.* secundùm formam essentialem à jure gentium



tium. Dissidentes volunt formam essentialem esse à jure civili, at sic nulla gens habuit patriam potestatem, cum forma essentialis, quæ constituit patriam potestatem, defuerit. Jam autem aliæ gentes habuerunt patriam potestatem, ut ex Dionys. Halycar. constat. vid. *Rittershus. δεδευαδέλτω. C. L. 3. p. 1. c. 1.* sic non resistit quod dicunt, se non loqui de forma juris gentium, sed de forma juris civilis. Ponamus secundum illos formam esse à jure civili, aut erit essentialis, aut accidentalis, si illud, unius rei erunt duæ formæ essentialis, si hoc habemus, quod volumus. 2. Quod patria potestas tollatur modis civilibus, deportatione §. 1. *I. quibus mod. 1. p. minima capitis diminutione §. 3. I. de cap. diminut.* cum tamen retineant ea, quæ sunt juris gentium *l. 1. de port. 15. de interd. & releg. l. 8. de cap. diminut.* Resp. Effectus, qui sunt ex jure civili, solum tolluntur, alii ex jure gentium permanent, deinde non est generaliter verum, quod dicitur in *l. nihil tam nat. 35. de R. I.* fallit in nuptiis. *Bachov. ad Wesenbec. de R. N. n. 8.* in obligatione quæ tollitur per novationem. *l. 1. de novat.* per acceptilationem, *l. 1. de accept. 3. Ex l. 6. d. t. & I.* dicunt aliquid est additum juri gentium. E. est juris civilis, Resp. loquitur dicta lex de jure mixto non mero, alias pene omnia essent juris civilis, & hæc lex illos non juvat, cum id, cui debet aliquid addi, prius sit necesse ipso quod additur. Jus autem gentium est quoddam jus generale, ex quo pro ratione status haurit quævis respublica, illa restringit, hæc addit.

XI.

Contraria sunt dissolutio matrimonii, quamvis non facile debeant rescindi matrimonia, cum Deus vi-  
rum



rum & uxorem jungat. *Matth. 9. v. 6.* Interim ta-  
men dantur certi casus, in quibus fieri potest, Et quidem  
vel tantum solvitur matrimonium, quoad thorum &  
mensam, & hoc fit vel propter inimicitias capitales,  
vel sævitiam nimiam, si altera persona conjugata aliàs  
tuta esse nequit, vel solvitur etiam quoad vinculum  
præter mortem has ob causas 1. ob malitiosam desertio-  
nem. 2. ob adulterium *Matth. 19. v. 9.* Et sic altera pars rur-  
sus potest inire nuptias utcunque dissentiunt Canonistæ.  
Et tantum de hac utili & in foro frequenti materia pro  
ingenii mei viribus concinnasse sufficiant, benevolum  
lectorem obnixè rogans, ut hæc æqui bonique consu-  
lat, Cui verò fortè de hac materia jucunda gestit ani-  
mus plura legere, illum ad eos Autores remitto, qui de  
hac materia multò plura exactiori labore scripserunt;  
Et ultrò ingenuè profiteor me nihil novi finxisse, sed  
cum Comico, nihil dixisse, quod non dictum  
sit prius.

UNI IMMORTALI DEO  
SIT LAUS ET GLORIA.

COROL-



## COROLLARIA

*Ex nuperis Juris publici praelectionibus Nobil. Dn. Praesidis desumpta.*

I.

An in nostro Rom. Germ. Imper. prædominetur Monarchia, an verò Aristocratia? Neutra sententia absolutè vera est, sicut eam proponunt Publicistæ; sed rectius defendam opinionem *Nobil. Dn. Praesidis in praelect. juris publ.*

II.

An Imperator possit deponi? D.

III.

An Rex Romanus ea, quæ agit in Imperio independenti & propriâ autoritate faciat? Neg.

IV.

An jus eligendi Electoribus competat ut universis, non verò ut singulis? Posterius aff.

V.

An in Electores committatur crimen

G

læsæ



læsæ Majestatis nec minus, quàm in Imperatore?

VI.

An Pontifex dederit Electoribus potestatem eligendi Imperatorem? Neg.

VII.

An hodiè Evangelicus Elector possit eligi in Imperatorem? Aff.

VIII.

An hodiè liceat disputare de Religione? D.

IX.

An Academiæ commodè in Emporiis & civitatibus merculiabus erigantur & habeantur.

X.

An Ministri Ecclesiæ ob verba duriora in suggestu proposita possint conveniri actione injuriarum? Aff.

XI.

An novus Pastor præcedentis viduam vel filiam debeat in uxorem ducere? Neg.

XII.



XII.

An possit dari solida ratio cur prohibi-  
tæ sint Parentum & filiorum nuptiæ?

XIII.

An Reges absque Procerum consensu  
possint ducere uxores? D.

---

**E**N! *dubiis contorta plicis quesita, parato,  
Querenti, tentas solvere iudicio?  
His grator cæptis, merito congaudeo honore,  
Et majora, precor, prospera fata ferant!*

Sinceri, erga Præstantiss. Dn. Autorem  
adfectus testandi ergò, libens facieb.

*Eberhardus Cramerus,  
Bar. st. Oldenb.*

---

**W**em die Künste stets behagen/  
der wird von dem Tugend Lohm  
an das Volkentach getragen/  
und verehret mit der Cron/  
welche Phöbus diesem giebet/  
der den Ruhm der Weisheit liebet.  
Nun



128  
Nun Herr Kirchhoff hat erreicht  
den verlangten Ehrenstand/  
In dem Er gar schön bezeuget  
durch sein Lob ergebne Hand/  
wie der Mensch auf dieser Erden  
könne recht gepaaret werden:

Darumb wird Ihm zugegeben  
Glio nach der Götter Rath/  
daß Er möge mit ihr leben  
auf des Heliconis Pfad/  
biß die Künste Ihn umfangen  
und den Scepter überlangen.

Mit diesen wenigen hat seinem hochge-  
ehrten Herrn Landsmann und brü-  
derlichem Freund glückwünschend  
bedienen wollen

Hermannus Strackerjan.

---

**M**agna quidem res est, cathedram conscendere velle;  
Major at est hostis frangere tela sui;  
Attamen hoc tentas, Kirchovi, Numine dextro  
Fortiter. Euge! bene! Victor abibis, abis.  
Gratulor ergo Tuis, ceu fas est, ausibus, orsis  
Gratulor, ingenuo gratulor ingenio!

*Ex sincero animi affectu apposuit*  
Paulus Kühholdus, Königseâ Thuringus.

**F I N I S.**



ULB Halle

3


005 132 584



VD 17









nich  
Eug  
chtes  
da de  
ttin  
em 2  
an s  
se sc  
suel  
thre  
e. K  
diese  
meh  
die d  
ahr  
Dünf  
Diese  
chan



2006

DISPUTATIO JURIDICA  
DE  
NUP TIIS, <sup>1659, 5</sup> <sub>6</sub>

Quam  
Sacrosanctæ Trinitatis adspirante gratiâ  
AUTHORITATE & CONSENSU  
Magnifici Jctorum Ordinis

P R Æ S I D E  
V I R O  
*Nobilissimo, Amplissimo, Consuletissimo atque Ex-  
cellentissimo*

DN. JOH. VOLK. *Bechman*/  
J. U. D. famigeratissimo, Prof. Publ. Ordinario lon-  
gè meritissimo, Consiliario Saxonico, Facultatis Ju-  
ridicæ & Scabinatus Assessore gravissimo,  
Domino Præceptore, Patrono ac Promotore suo summâ  
observantia ubique venerando,  
*Publicè examinandam proponit*  
In Academiâ hâc Salana  
*Ad diem Octob.*  
Loco horisque consvetis  
ANTHON. GUNTHER. *Kirchoff*/Oldenburg.  
A U T O R.

GENÆ  
Typis JOHANNIS NISII.  
ANNO M DC LIX.

